



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quid sit baptismus. A

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



QVID SIT BAPTISMVS.  
DISTINCT. III.

*De speciali  
Baptismo.*

*Aug. illud  
Ioan. 15. Iam  
vos mundi  
ostis.  
Tract. 80 in  
rom. 8.  
Ibidem ferè  
continuo.*

**P**ost hæc videndum est, quid sit baptismus, & quæ sit forma, & quando institutus, & causa institutionis. Baptismus dicitur intinctio, i. ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Si n. ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum: sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum: non utiq; ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio facta in elemento. Unde Aug. Verbo baptismi consecratur, detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Unde est hæc tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus intus manens. In duob. ergo consistit sacramentum baptismi, scil. in verbo & elemento. Ergo etsi alia desint, quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum & sanctum, si verbum sit & ibi elementum. Nam & in hoc sacramento & in aliis quædam solent fieri ad decorem & honestatem sacramenti, quædam ad substantiam & causam sacramenti pertinentia. De substantia huius sacramenti sunt verbum & elementum, cætera ad solennitatem eius pertinent.

*De forma Baptismi.*

*Mat ult. c. d*

*Zach. Boni-  
fac. Episc.  
Mogunt.*

**S**ed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum? Veritas te docet, quæ huius sacramenti formam tradens ait discipulis. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & Spirit. S. Inuocatio igitur Trinitatis verbum dicitur, quo baptismi consecratur: & hæc forma verborum sub qua traditur baptismus. Unde Bonifacio Episc. Zacharias Papa ait, Firmissime præceptum est in synodo Anglorum, ut quicumq;

fine